

Laval théologique et philosophique



De incorruptione exanimis corporis Beatissimae Virginis Mariae

Juan-María Riofrio, o.p.

Volume 7, Number 2, 1951

URI: <https://id.erudit.org/iderudit/1019855ar>

DOI: <https://doi.org/10.7202/1019855ar>

[See table of contents](#)

Publisher(s)

Laval théologique et philosophique, Université Laval

ISSN

0023-9054 (print)

1703-8804 (digital)

[Explore this journal](#)

Cite this article

Riofrio, J.-M. (1951). De incorruptione exanimis corporis Beatissimae Virginis Mariae. *Laval théologique et philosophique*, 7(2), 188–201.
<https://doi.org/10.7202/1019855ar>

Tous droits réservés © Laval théologique et philosophique, Université Laval, 1951

This document is protected by copyright law. Use of the services of Érudit (including reproduction) is subject to its terms and conditions, which can be viewed online.

<https://apropos.erudit.org/en/users/policy-on-use/>

Érudit

This article is disseminated and preserved by Érudit.

Érudit is a non-profit inter-university consortium of the Université de Montréal, Université Laval, and the Université du Québec à Montréal. Its mission is to promote and disseminate research.

<https://www.erudit.org/en/>

De incorruptione exanimis corporis Beatissimae Virginis Mariae

I. DE INCORRUPTIONE

Multoties ipsa mors corruptio dicitur et merito, nam cum corruptio importet transitum de esse ad non esse, et esse corporis humani sit ab anima intellectiva, manifestum est quod, anima separata, corpus desinit esse humanum, et sic in ipsa morte ratio corruptionis adest : « Ideo corpus mortuum cuiuscumque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid : quia est idem secundum materiam, non autem idem secundum formam. » ¹

Attamen, cum separatio animae a corpore proprium nomen mortis habeat, nomen corruptionis ad designandam dissolutionem cadaveris retinetur. A. V., loquemur, non de corruptione hominis, sed de corruptione corporis ab anima separati, quod est cadaver.

Nomina corruptionis vel incinerationis indiscriminatim a Patribus adducuntur ad dissolutionem cadaveris designandam. Talis usus praxi Scripturae sacrae et etiam aliorum auctorum consonat. « Deficiet . . . caro . . . et homo in cinerem convertetur. » ² « Qua extincta — scintilla — cinis erit corpus nostrum. » ³

Corruptionis definitio realis : « Corruptio importat desitionem cum determinato modo, scilicet transmutationis. » ⁴ Corruptio generationi opponitur. Generatio est via ad esse, unde generabile est illud quod nondum est sed potest accipere esse per generationem. « . . . Illud quod est *generabile* nondum est ens, sed solum illud quod iam est *genitum*. » ⁵ E converso, cum corruptio sit via de esse ad non esse, corruptibile est ens, corruptum vero iam desinit esse idem quod prius ⁶. Et sic veritas primae partis definitionis apparet.

Et dicitur talis desitio per transmutationem fieri, ut modus desitionis quae est corruptio ab aliis modis desinendi ab esse distinguatur. Potest enim contingere aliquid quod erat desinere esse per alium modum quam per transmutationem, sicut tactus et motus desinunt esse non per transmutationem, sed per cessationem ab actu, vel per interruptionem aut aliquid huiusmodi. « . . . Cum prius sit aliquid, posterius vel non est vel contingit non esse ; sive hoc contingat per corruptionem et transmutationem, sicut

1. S. THOMAS, *IIIa*, q.50, a.5, ad 1.

2. *Job*, xxxiv, 15.

3. *Sap.*, II, 3.

4. S. THOMAS, *In I de Caelo*, lect.24, n.7.

5. *Ibid.*, n.8.

6. S. THOMAS, *QQ. DD. de Potentia*, q.5, a.3, c. ; a.4, ad 9.

homo est corruptibilis ; sive non per corruptionem et transmutationem desinat esse, sicut tactus et motus. » ¹

Corpus humanum est maxime corruptibile. Loquendo de corpore humano, sanctus Thomas dicit cum Aristotele quod corpus nostrum est « perfectissime corruptibile » ². Cujus ratio ex maxima corporis compositione procedit. Cum enim corpus sit propter animam, et anima humana sit perfectissima formarum, indiget corpore perfectissime disposito ad suas operationes, non enim anima rationalis corpus organicum informat nisi ut cum illo constituat unum suppositum in esse et in operari. Ad cujus intelligentiam sanctus Doctor inducit comparisonem cum corporibus simplicibus. « ... Impossibile est quod [corpora simplicia] habeant sensum. » ³ Corpora vero humana in quibus tactus est maxime evolutus, maximam habere debent compositionem. Jam vero, corruptio non adest nisi ubi est contrarietas, cum generatio et corruptio sint de contrario in contrarium ⁴. Ergo manifestum est quod ubi est summa contrarietas est summa corruptibilitas. « ... Hic autem distinguuntur modi [corruptibilitatis] secundum potentiam absolutam, et perfectam ; quod est ultimus modus, tanquam perfectissimus ; perfectissime enim corruptibile est quod de facili potest corrumpi. » ⁵

II. CORPUS BEATISSIMAE V. MARIAE LICET A NATURA CORRUPTIBILE,
TAMEN DIVINA VIRTUTE A CORRUPTIONE PRAESERVATUM FUIT

Quamvis humanum corpus habeat de sua natura quod sit perfectissime corruptibile, tamen non importat absurdum quod absque corruptione conservetur. Ex alia parte, Deus potest leges naturae suspendere in aliquo casu particulari ut ostendat suam virtutem. Quod de facto exanime corpus Beatæ Virginis a corruptione praeservatum fuit, probatur *primo* ex testimonio sacrae Liturgiae.

In oratione festi Assumptionis dicitur : « Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit quae Filium suum D. N. de se genuit incarnatum. » In cujus textus explicationem verba sancti Alberti juvat afferre :

Quid appellatur nexus mortis ? Vel est bonum vel est malum. Non bonum quia omnis boni capax fuit Maria. Item, bonum non deprimit sed elevat. Ergo nexus non nominat ibi aliquid boni.

Si autem est malum, aut est malum culpae aut est malum poenae. Non culpae :

Quia mors non est nexus ad culpam quia post mortem non est status culpae, sed poenae. Item, nihil dictum esset, quod post mortem non posset peccare, quia esset Mater Dei, cum post mortem nullus peccet.

1. S. THOMAS, *In I de Caelo*, lect.24, n.7.

2. *Ibid.*, n.8.

3. *Ibid.*, n.5.

4. S. THOMAS, *De Potentia*, q.5, a.3, c.

5. S. THOMAS, *In I de Caelo*, lect.24, n.8.

Si autem est malum poenae, quaero, quam poenam importat? Non gehennae : quia ad illam non nectit mors : quia multi moriuntur qui non vadunt ad gehennam. Eadem ratione nec ad purgatorium.

Nec etiam potest dicere poenam temporalem : quia ad illam non nectit mors, sed absolvit ab illa. Item, non potest dicere poenam mortis : quia beatissima Virgo vere mortua fuit.

Ergo relinquitur quod non potest significare nisi incinerationem : ergo erit sensus : non potuit nexibus mortis deprimi, id est, non potuit incinerari. ¹

In lectionibus officii pro 15 augusti facile est plures textus reperire ².

Ad demonstrandam universalitatem sententiae de incorruptione juvat unum tantum textum ex aliis Liturgiis afferre : In breviario gothico sequens habetur testimonium : « Nec credi fas ullo modo potest jam tali Filio Matris interire tabida sic dilabi sacra caro. Quam etsi sopor adiit, et lacu terrae latuit qualiter hic adsumitur postea sed toto traditur. » ³ In missali mozarabico agitur de dono « illibatae carnis » B. Virginis Mariae : « Maria meruit assumi : sive dono illibatae carnis feliciter jucundari ; sic nos stimulo perfecte extirpato carnali : beatiores ibidem misericorditer admitti. » ⁴

In *Sacra Theologia* argumentum sumi potest *primo* ex privilegio Conceptionis Immaculatae : corruptio corporum mortuorum est « meritum » ⁵ peccati ; sic enim Deus primum peccatum damnavit dicens : « Quia pulvis es et in pulverem reverteris. » ⁶ Cum Virgo Maria praeservata fuerit immunis a peccato etiam ab ejus poena immunis erat.

Ad cujus intelligentiam sciendum est quod licet corpus humanum sit ex se corruptibile, tamen quod nunc *de facto* corrumpatur est in poenam peccati. Amissa enim originali justitia per primum peccatum, non solum potentiae animae fuerunt deordinatae, verum ipsum corpus factum est deordinatum et primum ad corruptionem. « In ipso corpore effecta est ex vi praedicti peccati quaedam indispositio, sive corruptio, ratione cujus non perfecte subditur animae, neque ab ea continetur ut non ad corruptionem et interitum tendat. » ⁷

Caro enim est sufficiens causa materialis originalis peccati, quatenus per carnem naturaliter traducitur humana natura ⁸. Unde provenit quod peccatum originale prius est in carne quam in anima, nam anima inficitur peccato in sua unione ad corpus. « . . . Infusio importat respectum et ad Deum infundentem, et ad carnem, cui infunditur anima. Et ideo, habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici quod anima per

1. S. ALBERTUS, *Mariale*, q.132 (ed. BORGNET), p.184b.

2. In antiquis ed. per totam octavam.

3. MIGNE, Vol.86, col.1187.

4. MIGNE, Vol.85, col.822.

5. S. THOMAS, *IIIa*, q.51, a.3, ad 2.

6. *Gen.*, III, 19.

7. SALMANTICENSIS, *Cursus theol.*, Tract. de Vitiis et Pecc., disp.14, dub.3, parr. 3, n.68, Parisiis, 1877, T.VIII, p.42b.

8. S. THOMAS, *QQ. DD. de Malo*, q.4, a.1, ad 3.

infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur.»¹

Et quia caro sic concurrit instrumentaliter ad peccatum originale communicandum, digne et juste contra illam illata fuit illa sententia : « Pulvis es et in pulverem reverteris. » In quo tamen notandum est quod licet annihilatio debeatur peccato ex rigore justitiae ; nihilominus, Deus propter misericordiam suam non redigit carnem peccatoris in nihilum sed eam sinit corrumpi ; corruptio enim non importat annihilationem sed transitum ex una in aliam formam eodem subjecto permanente scil. materia prima. Et sic in eo quod caro hominis desinit esse caro, divina justitia effulget. Attamen in conservatione elementorum talis carnis patet divina clementia. Et ita oeconomia divinae sapientiae in corruptione corporum mortuorum manifestatur.

... Licet Deus de justitia creaturae contra se peccanti posset esse subtrahere, et eam in nihilum redigere ; tamen convenientior justitia est ut eam in esse reservet ad poenam ; et hoc propter duo. Primo, quia illa justitia non haberet aliquid misericordiae admixtum, cum nihil remaneret cui posset misericordia adhiberi : dicitur enim in Psalmo : XXIV, 10, quod universae viae Domini misericordia et veritas.²

Et quia haec sententia corruptionis fuit contra omnes filios Adami prolata, ideo beata Virgo turbata fuit cum audivit se ab Angelo salutari « benedicta tu in mulieribus » ; unde cogitabat qualis esset ista salutatio quae et mulierem dicebat et benedictam³. « Cogitabat... quam generalis, quam specialis esset ista salutatio. »⁴

Revera, generalis fuit illa salutatio quia Mariam ab omni peccati maledictione absolvebat ; et fuit simul specialis, quia tantum Virgini Mariae talis copia privilegiorum concedebatur. A triplice maledictione, scilicet : a gravamine in gestatione foetus, a nimia sollicitudine de necessariis ad vitam conservandam, et a corruptione corporis in sepulcro, fuit praeservata. « Sine isto triplici vae maledictionis fuit ista beatissima Virgo in corpore, quae corpus habuit eucraticum, cum spiritu per omnia pacificum, et numquam in cineres resolvendum. »⁵ Eadem est sententia Doctoris Angelici : « Tres maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum... Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo. »⁶

Objectio quaedam. Aliquis non attente omnes rationes considerans, quamdam contradictionem apparenter invenire posset in hoc quod in capite praecedenti negavimus privilegium Immaculae Conceptionis constituere argumentum in favorem immortalitatis Virginis Mariae, et nunc ipsum privilegium assumimus ad probandam convenientiam incorruptionis corporis Deigenitricis in sepulcro.

1. S. THOMAS, *Ia IIae*, q.83, a.1, ad 4.

2. S. THOMAS, *De Potentia*, q.5, a.4, ad 6.

3. LUC, I, 28.

4. S. ALBERTUS, *Mariale*, Resp. ad QQ. CC., ed. cit., T. XXXVII, p.293b.

5. *Ibid.*, q.21, p.67a.

6. *Exp. in sal. Ang.*

Respondetur. Ad dubium multiplex adduci potest solutio.

Prima. Respondeo quod mors Christi et Virginis Matris praetium fuit nostrae redemptionis et signum eorum verae humanae naturae compositae ex anima rationali et corpore. E contra, incineratio ex se tantum rationem poenae habet.

Secunda. Etiam considerando mortem ut peccati poenam, morti non convenit ratio poenae modo perfecto, sed tantum imperfecto, tamquam disponenti ad perfectum. Mors enim disponit animam ad poenas gehennae vel purgatorii, et disponit corpus ad corruptionem, in quibus tota perfectio poenae invenitur. In iis enim quae ordinantur ad aliquid tota ratio ordinis in fine salvatur. Unde loquendo de Christo sanctus Augustinus et sanctus Thomas dicunt quod si non permisisset Dominus occidi a Judaeis, senescendo mortuus fuisset¹. Sed nemo dicit quod corpus ejus corruptioni traderetur. « Si corpus Christi jacuisset in sepulchrum usque ad diem novissimum, non fuisset incineratum, nec putrefactum, quia erat embalsamatum divinitate. »² Et idem dicendum est de Virgine Maria, cujus caro uncta fuit a Spiritu Sancto. « Mariae caro et mens fuit a Spiritu Sancto praepurgata. »³

Tertia. Mors Christi iter fuit ad victoriam⁴. Et hoc praecise quia de morte assumpsit separationem animae a corpore et sepulturam « ut mortem perfecte gustaret »⁵. Sed non assumpsit corruptionem cadaveris, qui sic suum absolutum dominium super omnia et libertatem qua mori voluit, ostenderet. Et ita etiam in Virgine Maria perfectio victoriae Christi super mortem ostenditur, eo quod mortua est quin corruptioni tradita fuisset. Fuit in Illa mirabilis concursus gratiae et naturae, ut eloquentissime Bossuetius praedicat : Naturae fuit mori ; gratiae mori et non incinerari. Et in hoc triumphum Christi elucet.

Quarta. Cum summo theologo sancto Gregorio :

Haec [mors] autem quae praesentibus malis liberat, atque etiam saepe ad supernam vitam traducit, haud scio an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis . . . Quid igitur grave nobis accidit, si hinc ad veram vitam migravimus ? Si vicissitudinibus fallaciis, fastidiis, ac turpi illa tributae exactione liberati, cum stabilibus rebus, minimeque fluxis, et caducis, parva lumina futuri sumus, circa lumen illud magnum tripudiantes.⁶

Quae omnia morti Deigenitricis mirum in modum convenire omnes tenemus.

Argumentum secundum ex sanctitate sumitur vitae Deigenitricis. Corporis corruptio non solum est poena peccati naturae, ut dictum

1. SALMANTICENSIS, *De Incarnatione*, disp.14, n.11. T.VIII, p.424.

2. S. J. CHRYSOSTOMUS, *Appendix*. Patris Caponi in III, q.51, a.3.

3. S. GREGORIUS THEOLOGUS. *Opera Omnia*, Oratio XLV. In sanctum Pascha, Caillau, Parisiis, 1872, T.I, p.851b.

4. Officium Sabb. Sancti.

5. S. GREG. THEOLOGUS, *op. cit.* : Oratio XL, In sanctum Baptisma, n.45, ed. cit., T.I, p. 728a.

6. *Ibid.*, Oratio XVIII, Funebris Oratio in Patrem, n.42, T.I, p.361b.

est, sed etiam habet specialem rationem punitionis peccatorum personalium.

Est doctrina sancti Alberti. Cum peccatum sit aversio a Deo et conversio ad creaturam, duplex deordinatio invenitur in peccato. Una ex parte principii a quo peccator voluntarie recedit, scilicet Dei; altera ex parte termini ad quem inordinate accedit, scilicet creaturae. Et sic in poenam talium deordinationum, quatenus anima, in qua est voluntas qua peccator peccat, elongatur a Deo, juste peccator punitur amittendo animam per mortem. Et quatenus appetitus inordinate quaesivit delectari in bonis terrae, peccato damnatur poenae conversionis sui corporis in pulverem terrae. « Quia avertit se a sua vita, incidit in necessitatem aversionis a corpore, cujus anima est vita: ex conversione ad nihilum, incidit in necessitatem redeundi quasi in nihilum, id est, in pulverem. »¹ Et in hoc maxime divina justitia effulget qui peccatorem punit sinendo eum converti in id ipsum quod ille amavit. Amor enim perficitur secundum quod amans trahitur ad amatum. Et inde dicit Scriptura: « Impii . . . tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae. »²

Quod neque dici, imo neque cogitare fas est loquendo de Virgine Maria, quae non solum expers fuit omnis culpae personalis, verum etiam omnis concupiscentiae, et hoc non tantum in actu secundo, id est a motibus deordinatis, sed etiam in actu primo, id est, ab ipsa propensione ad malum. Et hoc est de fide. Dicit enim Concilium tridentinum: « Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, A.S. »³ Fuit enim Maria gratia plena, quae plenitudo omne peccatum excludit. Unde dicit sanctus Albertus: « Cum omnimoda affuit gratia, nullo modo defuit gratia. » Quibus consideratis, Pater Merkelbach non haesitat affirmare quod Maria Mater Christi « fuit entitative sancta in linea essendi »⁴. Et sanctus Thomas de ea affirmat: « Maria excedit omnes angelos quantum ad puritatem. » Non ergo decuit tantae sanctitati fieri sicut luto, et in pulverem reduci.⁵

Argumentum tertium sumitur ex majori cum Jesu conformitate. Mater prae omnibus aliis Filio suo assimilari conveniebat, tamquam sibi simili, id est tamquam suo exemplari. « Casus similis tunc occurrebat Christo, qualis nunc occurrit suae matri. »⁶

Super illa verba sancti Pauli ad Philippenses: « Configuratum corporis claritatis suae »⁷, Angelicus noster Magister scribit: « Corpus siquidem Christi glorificatum est per gloriam divinitatis suae, et hoc meruit per

1. S. ALBERTUS, *op cit.*, q.132, p.186a.

2. *Prov.*, x, 28; *XI*, 7; *Sap.*, v, 15.

3. 116, Sess.6, can.23.

4. *Mariologia*, ed. cit., n.74, p.158.

5. *Job.*, x, 9.

6. SERAPHINI CAPONI, *Appendix in III*, q.37, a.4.

7. *Ad Phil.*, III, 21.

suam passionem : quicumque ergo participat virtutem divinitatis per gratiam, et passionem Christi imitatur, glorificabitur. »¹ Nullus autem ita participavit de Christo tam in ordine naturae quam in ordine gratiae sicut Mater ejus.

Et primo, quantum ad naturam. Beata Virgo « propinquissima Christo fuit secundum humanitatem : quia ex ea accepit humanam naturam. »² Propter intimam unitatem naturalem inter Filium et Matrem quae sine virili concursu concepit, Bossuetius ponit in ore Mariae illud Canticorum (II, 16) : « Dilectus meus mihi et ego illi. »³

Quia sicut tota divinitas Christi est a Patre, ita tota ejus humanitas est a matre. Genitus a Patre in eternitate, et genitus a matre in tempore. Audiatur sanctus Petrus Damianus : « Quarto modo inest unae creaturae, videlicet Mariae Matri, identitate, quia idem est cum illa. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat spirare tantae dignitatis immensitatem. Habitat Dominus in Virgine, cum qua unius naturae habet identitatem. »⁴

Et quia inter Mariam et Jesum naturalis unitas tanta erat, in amborum physicam venustatem, velut gemina lilia ex eodem stipite, effloebat. Sic legimus in Cornelio a Lapide quod facies Christi similis fuit faciei Matris : « Christus enim carens patre, *matrissabat*. »⁵ Nicephorus dicit de Jesu Christo : « Non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris ejus erat, paulum deorsum vergentem, ac modice rubicundam . . . Persimilis denique per omnia fuit divinae et immaculatae suae Genitrici. »⁶ Eadem est sententia sancti Alberti dicentis : « Maria Christi-formis secundum sensum fuit. »⁷ Salmanticenses : « Maria ergo etiam quoad exteriorem pulchritudinem meruit conformis fieri imagini Filii sui. »⁸

Quae ita perfectissime participavit Christo suam humanitatem, meruit accipere a Filio maximam participationem divinitatis. Attenditur similitudo Mariae ad Jesum quoad divinitatem in hoc quod ambo fuerunt gratia pleni, ut de illis Scriptura testatur. Talis plenitudo in Filio et in Matre diversimode est consideranda. Plenitudo gratiae in Christo fuit quoad gratiam unionis, et simul quoad gratiam habitualement, « quam habuit in summo, secundum perfectissimum modum quo haberi potest »⁹, et quoad omnes effectus gratiae.

Beata Virgo, ut dictum est supra, habuit gratiae plenitudinem, « non ex parte ipsius gratiae », sicut Christus, quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae. Dicitur plena gratia per comparisonem ad ipsam, quia enim habebat gratiam

1. S. THOMAS, *In Ep. ad Philip.*, cap.3, lect.3.

2. S. THOMAS, *IIIa*, q.27, a.5, c.

3. *Deuxième sermon de l'Assomption*. Paris 1881, T.VI, p.487.

4. *Serm. secund. Nativit.*

5. *Exp. in Cant.*, II, 14.

6. NICEPHORUS, *Eccl. Hist.*, L.I, cap.40, MIGNÉ, *P. G.*, T.CVL, col.750.

7. S. ALBERTUS, *Mariale*, q.38, ed. cit., p.77b.

8. SALMANTICENSES, *De Incarn.*, disp.24, dub.1, n.15, Parisiis, 1880, T.XV, p.427.

9. S. ALBERTUS, *Mariale*, q.43, pp.72, 73.

talem quae respondebat dignitati quasi infinitae ad quam erat praedestinata. ¹

Alio modo consideratur etiam similitudo Mariae ad Jesum in ordine gratiae, scilicet, ex suo officio Coredemptricis. In tantum causa secunda melius concurrat cum prima in productionem alicujus effectus, in quantum a causa prima majorem influxum recipit, ita quod cum causa prima quodammodo una causa efficitur in causando. Videmus in aqua quod non calefacit, nisi calefacta ab igne; et magis et celerius calefacit, quando majorem calorem ab igne recipit, cum quo, si est valde calefacta, quasi unum efficit in calefaciendo.

Beata Virgo cooperavit tanquam causa secunda in opere nostrae salutis, quod Jesus operatus est primario et principaliter. Maria fuit quam perfectissime conjuncta cum Jesu patiente et ei configurata. Merito de illa prae ceteris dici potest quod « Habuit societatem passionum illius, configurata morti ejus. » ²

Ex dictis ergo concludendum est, ad mentem sancti Thomae, quod Illa sanctissima Virgo quae sic participavit de humanitate et divinitate Christi et sic imitata est passionem ejus, etiam in glorificatione sui corporis conveniebat cum Christo configurari. Et sic, *pie* creditur ab Ecclesia quod corpus Matris fuit a putredine praeservatum in sepulchro.

Argumentum quartum, ex excellentia Virginis Deigenitricis super omnes sanctos. « Rationabiliter enim creditur quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis*, prae omnibus aliis maiora gratiae privilegia accepit. » ³ Atqui quaedam sanctorum corpora divinitus praeservata sunt a corruptione. Ergo non videtur conveniens tale privilegium Virgini Mariae fuisse denegatum.

Dona quibus Deus homines ditat, proportionantur officio et dignitati ad quae vocantur. Maria praedestinata fuit ut esset Mater Dei et Regina Misericordiae, quae vocatio « determinat positionem super omnia. » ⁴ Unde patet maximis debuisse cumulari muneribus quae talia ac tanta debebat exsequi ministeria.

Inter privilegia vero quae Deus aliquibus amicis suis communicavit, enumeratur singularis providentia circa corpora eorum post mortem. In tanto honore habitum fuit sepulcrum Elisei Prophetae, ut mortuus quidam in illo positus illico resurrexerit ⁵. In historia sancti Clementis legimus quod Deus in tanto honore fidelis servi corpus habuit, quod mari imperavit ad tria usque miliaria recedere, quo christiani illud quaerentes invenire possent. ⁶ Et de illa praeclara Virgine Alexandriae exultans canit Ecclesia: « Deus, qui dedisti Legem Moisi in summitate montis Sinai, et in eodem

1. S. THOMAS, *IIIa*, q.7, a.10, ad 1.

2. *Ad Philip.*, III, 10.

3. S. THOMAS, *IIIa*, q.27, a.1, c.

4. S. ALBERTUS, *op. cit.*, q.162, p.236a.

5. *IV Reg.*, XIII, 21.

6. *Brev. Officium pro 23 nov.*, lect. 6.

loco per sanctos angelos tuos corpus beatæ Catharinae Virginis et Martyris tuæ mirabiliter collocasti. »¹ Et de ipsa incorruptione loquendo, Ecclesia nos edocet multa esse corpora sanctorum a dissolutione divinitus liberata ; inter quæ corpus sancti Antonini Archiepiscopi Florentinensis, et corpus sancti Joannis a Cruce, et corpus seraphicæ Virginis Teresiae carmelitarum reformatricis recensentur.²

Quibus omnibus rite perpensis, non videtur convenire Deum denegasse Virgini Deiparae aliquod privilegium quod et aliis servis fidelibus utique concessit. Addendum quod talis denegatio paulum consonaret doctrinae ipsius caelestis Magistri dicentis : « Non est discipulus super magistrum. »³ « Non est servus major domino suo. »⁴ Secundum quod sanctus Albertus hanc tradit universalem regulam : « Pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus, quod quidquid umquam bonitatis in aliquo sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit, et per ipsam in alios. »⁵

Hinc concludere debemus non tantum quod Virgo beatissima incorruptionis privilegium habuit, verum etiam quod alii sancti in tantum talem mercedem recipere meruerunt, in quantum Maria, quæ merito Regina sanctorum omnium salutatur, et cujus corpus iam pridem in sepulcro fuit a dissolutione praeservatum, et corpora sanctorum suorum ab ipsa incineratione liberari obtinuit. Sua ergo super omnes sanctos excellentia stat pro praeservatione corporis Virginis Mariae in sepulcro.

III. EADEM DOCTRINA IN RESPONSIONE AD OBJECTIONES MELIUS DECLARATUR

Objectio prima. Procedit ex verbis Philosophi : « Omne corruptibile quandoque corrumpetur. »⁶ Unde cum corpus Virginis Mariae fuerit ex se corruptibile, quandoque corrumpi debet. *Declaratur antecedens.* Si quandoque illud quod est corruptibile non corrumpitur, potest non corrumpi. Hoc enim audit incorruptibile quod potest non corrumpi. Unde si ponatur quod aliquid quod est corruptibile erit semper, ponitur quod est simul incorruptibile. Et sic erit aliquid simul possibile et semper esse et non semper esse, quod est impossibile. Concludendum est ergo quod omne corruptibile quandoque corrumpetur.

Respondeo. Distinguendo antecedens, et ad claritatem distinguo majorem probationis. Si illud quod est corruptibile potest non corrumpi,

1. Oratio pro missa sanctæ Catharinae.

2. Brev. Officium pro 15 oct., lect.6.

3. LUC, VI, 40.

4. MATTH., X, 24.

5. S. ALBERTUS, *Biblia Mariana*, T.XXXVII, p.397b. — Idem sanctus Doctor stylo scholastico eandem tradit in *Mariali* : « Pro regula et principio per se noto de ipsa supponatur in bono : quidquid boni aliqua creatura pura fecerit vel receperit, de hoc expers esse non liceat dubitari : cum, sicut Damascenus ait, a nullo illustrium superetur. » (Q.43, ad obj., ed. cit., T.XXXVII, p.83b).

6. S. THOMAS, *In I de Caelo*, lect.29, n.8.

propria sua virtute, quasi in sua propria constitutione naturali haberet simul haec duo, nempe posse ex se corrumpi et posse ex se non corrumpi, hoc in casu poneretur aliquid simul esse et non esse. Si vero dicatur quod illud quod est ex se corruptibile, per virtutem superiorem impediens illud corrumpi, non corrumpitur, erit simul incorruptibile, nego.

Illud enim quod quandoque fuit, eadem dispositione permanente, potest esse semper. Iam vero, corpus humanum sua natura corruptibile, potest divina virtute conservari in eadem dispositione. Quod probatur ex eo quod fecit Deus hoc per Lignum vitae. Deus enim potest facere per se illud quod aliquando voluit fieri mediantibus causis secundis; nam non quia causa secunda potest aliquid facere et Deus illud facere potest, quasi Deus ab aliis reciperet virtutem causandi; sed e contra, quia Deus per se aliquid agere potest, vult suam virtutem alicui creaturae communicare, ratione cujus virtutis sibi communicatae creatura est causa secunda et agit ut talis. Propter quod dicit sanctus Thomas in eodem loco: «... Omne genitum est corruptibile secundum suam naturam, sed potest contingere quod illud quod est corruptibile nunquam corrumpatur, propter aliquam causam conservantem ipsum in esse».

Et sic corpus B. V. Mariae quia esse habuit per generationem, naturaliter desinere debebat per corruptionem, nisi divina virtus illud impedivisset. Cum enim ponitur naturalis necessitas in creaturis, non derogatur divinae omnipotentiae, quae potest facere omnia quae non implicant contradictionem. Sic dicitur:

... Contraria ex quibus corpora componuntur, sunt secunda principia ad corruptionem agentia: primum enim agens est motus caelestis. Unde, supposito motu caeli, necesse est ut corpus ex contrariis compositum corrumpatur, nisi sit aliqua causa potior impediens. Sed motu caeli remoto, contraria ex quibus corpus componitur, non sufficiunt ad corruptionem faciendam, etiam secundum naturam, ut patet ex dictis [in corpore articuli]. Cessationem autem motus caeli non cognoverunt philosophi. Unde pro infallibili habebant quod corpus compositum ex contrariis corrumpatur secundum naturam.¹

Objectio altera. Eorum quae genere differunt non est transmutatio ad invicem, quia naturae rerum sunt necessariae. Corpus vero corruptibile est. Unde nullo modo potest fieri incorruptibile.

Respondeo. Si illud quod est naturaliter possibile, ab ipsa natura factum fuerit necessarium, mutaretur natura rei. Non vero si factum est necessarium per alium, ut dictum est supra in responsione ad primam objectionem. *Explico.* Si enim aliquid habet a natura possibilitatem ut ex eo aliquid fiat ab agente exteriori, si agens exterior tale facit, non ideo mutat naturam rei: nam illud quod erat possibile, id est, quod naturae rei non repugnabat, in actum eductum fuit per agentem exteriorem potentem talia facere. Et sic talis effectus erit necessarius relate ad agentem exteriorem, et possibile quoad naturam rei in qua factum est. Unde dicit sanctus Thomas: «... Id quod de sua natura est possibile, nunquam per aliud

1. S. THOMAS, *IIIa*, Suppl., q.86, a.2, ad 1.

fit necessarium secundum suam naturam, ita scilicet quod naturam necessitatis habeat. Tamen quod est possibile ex seipso, fit necessarium per aliud, licet non naturaliter : sicut accidit in omnibus violentis quae dicuntur necessaria per aliud. »¹

Cum ergo corpus Deigenitricis servatur incorruptibile per miraculum, non ideo transmutatur corruptibile in incorruptibile ; sed corruptibile divina virtute impeditur ne de facto corrumpatur. Et hoc non repugnat. Hoc profecto repugnaret ut illud quod est ex se corruptibile, sua propria naturali virtute servaretur incorruptum.

Objectio tertia. Videtur quod talis incorruptio convenire debeat omnibus peccatoribus qui faciunt poenitentiam. *Probo* : « Ignem ardentem extinguit aqua, et elemosyna resistit peccatis. »² « Quantum distat ortus ab occidente, longius fecit a nobis iniquitates nostras. »³ Sed aqua extinguit ignem totaliter : ergo poenitentia debet extinguere etiam peccati effectus, nempe actualement corruptibilitatem corporis.

Respondeo. In fomite consideranda sunt duo : essentia ejus et actus qui ex illa procedunt. Et sic dicendum quod poenitentia, quae est actus virtutis, tollit fomitem quoad actum, sed non tollit ejus essentiam, et « fomiti secundum essentiam respondet incineratio ». ⁴ Fomes est infectio omnis carnis, est enim inordinata et habitualis concupiscentia appetitus sensitivi. Inde est quod caro ab illo infecta appellatur in Scriptura « caro peccati ». ⁵ Est enim fomes originaliter in appetitu sensitivo, sed diffusive est in omni membro. Ait sanctus Thomas : « Haec autem infirmitas [fomes] non ex spiritu, sed ex carne venit ; quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut dicitur Sap. IX . . . Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Matth. XXVI, 4). »⁶

Eadem est sententia sancti Alberti : « Tota compages hominis corrupta est corruptione vitii et passibilitatis ». ⁷ Et loquendo de fomite et de deordinatione quae peccata personalia ponunt in natura, idem sanctus Albertus affirmat : « Multa sunt in corpore humano non de veritate humanae naturae. »⁸

Nunc vero, ut tale corpus peccato infectum accipiat spiritualitatem et gloriam corporis resurgentis, oportet quod totaliter amittat omnia quae statui glorioso repugnant. Omnis enim natura purgat primo materiam a contrariis formis antequam inducat formam intentam. Et ideo est quod corpora etiam sanctorum indigent incinerari, ut destruantur quicquid est peccati in eis, et exinde innoventur. « Ecce enim creo coelos novos, et

1. S. THOMAS, *De Malo*, q.5, a.5, ad 10.

2. *Eccl.*, III, 33.

3. *Ps.*, CII, 12.

4. S. ALBERTUS, *In IV Sent.*, dist.43, a.23, ad 3.

5. *Rom.*, VIII, 3.

6. S. THOMAS, *In ad Rom.*, cap.4, lect.4.

7. S. ALBERTUS, *ibid.*, a.22, ed. cit., T.XXX, p.534.

8. *Ibid.*

terram novam. »¹ Et ista depuratio fit per corruptionem : « Non credo posse fieri purgationem infectionis fomitis sufficienter ad gloriam, nisi per incinerationem, et hoc videtur intendisse Apostolum I. Cor. IV, 50 : Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. »²

Et ideo incineratio plenam habet rationem poenae : (a) Quantum ad reparationem justitiae laesae per corpus ut instrumentum transmissionis peccati originalis in animam, et socium animae peccantis ; (b) Quantum ad medicinam, quia purgat corpus a tenebris,³ et reddit illud aptum ad recipiendam lucem et spiritualitatem quae ex anima glorificata usque ad illud redundabunt. Quae incineratio necessaria fuit etiam in sanctis, non vero in Virgine Maria totaliter liberata a fomite.

Instantia. Atqui neque quoad essentiam existere potest fomes in viris perfectis : Ergo. *Probat*ur : Contraria eidem secundum idem simul inesse non possunt. Sed virtus et fomes opponuntur. Ergo.

Respondetur quod dupliciter contingit contraria eidem inesse : uno modo ut forma ; altero modo ut unum ordinatum ad alterum. Primo modo, recte dicitur quod contraria non possunt inesse simul ; sed secundo modo possunt inesse et de facto insunt. *Explico* : Experientia constat quod scientia et ignorantia de eadem re non dantur in eodem subjecto. Linea non potest terminare ad duo puncta inter se disparata, quia tunc essent duae lineae. Sed contraria inveniuntur in eodem subjecto ut ordinata inter se, et sic, exempli gratia, cum calefacimus aquam, durante processu calefactionis insunt in eadem aqua et calor et frigus, primus ordinatus, ut ita dicamus, ad destructionem alterius. Audiatur sanctus Albertus :

Primo modo non possunt inesse contraria . . . Secundo autem modo et contraria possunt inesse et sequi potest effectus : verbi gratia, in omni poenitente dolor est in ratione, quia aliter non esset laudabilis ; et tamen dicit Augustinus : « Semper doleat et de dolore gaudeat » : ergo gaudium potest esse de dolore, ita quod dolor sit materia gaudii, et ita utrumque potest inesse.⁴

Et sic fomes existit simul cum virtute, quae fomitem debilitat et non sinit eum transire in actum. — Ideo virtus in sanctis est simul cum fomite, ut naturae deordinatae impetus qui adversantur rationi cohibeat, ut de seipso sanctus Apostolus testatur.⁵

Instantia : Atqui virtus bonum facit habentem : ergo videtur quod in viro perfecto non est fomes.

Respondetur : Fomes tantum extinguitur per miraculum, quod locum habuit in Domino et in Matre ejus, ut sanctus Albertus docet : « Exerci-

1. *Isai.*, LXV, 17.

2. S. ALBERT, *ibid.*

3. MATTH., VI, 23.

4. In *III Sent.*, dist.15, a.4, ed. cit., T.XXVIII, p.272b. — Haec doctrina valde utilis est ad explicandum quomodo Mater sanctissima in passione simul summe doluit et summe gavisa est de morte Filii pro salute mundi. Secundum quod in alio loco idem Doctor scribit : « Nullus eligit poenam propter poenam, sed propter consolationem ». In *Habacuc*, cap.3, 16 (ed. BORNET), T.XIX, p.451a.

5. S. THOMAS, *Exp. super II Cor.*, XII, lect.3.

tium justitiae non extinguit fomitem : quia sicut habitum est in tertio Sententiarum, non extinguitur nisi per divinum miraculum. » ¹

Obiectio quarta. Christus assumpsit defectus communes humanae naturae : ergo a fortiori eos habuit Mater ejus. Atqui inter tales defectus enumeratur incineratio. Ergo.

Respondeo. Christus assumpsit defectus naturales dispensative, quatenus congruebant fini Incarnationis : concedo. Assumpsit coactive etiam illos qui huic fini, id est hominum saluti obfuisent : nego. *Explico.* Loquimur de defectibus communibus, non de particularibus, quos Christum non assumpsisse constat. Nunc vero Scriptura clare insinuat tales communes defectus in Christo inveniri propter nos, cum dicit : « Christus pro nobis egenus factus est, cum esset dives. » ² Sicut ergo ad procurandam hominum salutem egestatem assumpsit, ita et alios defectus ; ita ex eodem, tanquam ab oppositis, coostenditur quod defectus qui huic fini non conveniebant non assumpsit. Et sic sua sapientia et suum dominium super omnia, et sua infinita bonitas in ipsis poenaltatibus a Se susceptis abundanter ostenduntur : « Defectus nostros dispensative assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret : non quia ei secundum se competerebant. Et ideo non oportuit quod omnes assumeret : sed solum illos qui sufficebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanae naturae. » ³

Nunc vero, incineratio fini Incarnationis adversaretur, cum videretur ex impotentia et non voluntarie mortuum fuisse Dominum. Et sicut morte sua mortem nostram spiritualem et corporalem destruere dignatus est ; ita sua non incineratione de veritate suae Incarnationis et de certitudine nostrae futurae resurrectionis « etiam de quibuscumque cineribus » nobis praebeuit argumentum. ⁴

Obiectio quinta. Sed praevia acceptatione voluntaria posset fieri incineratio cadaveris meritoria. Sanctus Paulus enim docet quod etiam actus vitae vegetativae possunt fieri meritorii ⁵. Et de facto in vita sanctae Theresae a Puero Jesu legimus illam ob nimiam suam humilitatem Deum rogasse suum cadaver incinerari. Unde incineratio cadaveris Virginis Sacratissimae potuit fieri in gloriam Dei et in salutem nostram.

Respondeo quod talis argumentatio totaliter a sensu Ecclesiae universalis elongatur. Unde in theologia, quae est scientia subalternata Scientiae Dei per revelationem nobis traditae, nullomodo licet in talibus vagari imaginationibus.

Et sic doctrinam sanctorum paucis verbis complectendo, dicere debemus quod corruptio cadaveris Christi et Matris frustra poneretur, quod non convenit Dei Sapientiae quae omnia « in mensura, numero et

1. S. ALBERTUS, *In IV Sent.*, disp.43, a.23, T.XXX, p.536b.

2. *II Cor.*, VIII, 9.

3. S. THOMAS, *IIIa*, q.14, a.4, ad 2.

4. *Ibid.*, q.51, a.3, ad 3.

5. *I Cor.*, x, 31 ; *Col.*, III, 17.

pondere » disponit ¹. Et merito, cum opus nostrae reparationis ordinetur ad remotionem malorum et promotionem bonorum, quae omnia perfectissime per dolores Christi patientis et Mariae Compatientis et per eorundem resurrectionem fuerunt peracta, non est ratio cui incineratio tribuenda sit. « Passio Christi operata est nostram salutem, proprie loquendo, quantum ad remotionem malorum : resurrectio autem, quantum ad inchoationem et exemplar bonorum. » ²

JUAN-MARÍA RIOFRIO, O.P.

1. *Sap.*, II, 21.

2. S. THOMAS, *IIIa*, q.53, a.1, ad 3.

(3)